

audientes significationem eorum percipiunt, vel quia, licet concionator unius linguæ verba proferat, in auribus audientium multiplicatur, quia quando ad singulorum aures verba perveniunt, in unoquoque imprimuntur species verborum audientis, non vero loquentis, et, quot sunt auditores diversi idiomatis, tot effectus seu conceptus diversarum rationum generat idem verbum in auribus et mentibus eorum. Et ita quidquid in hac gratia est supernaturale, fit ex parte audientium, non ex parte loquentium. Alter principalis modus est, si loquenti infundantur species et notitiæ diversarum linguarum, deturque ei facultas loquendi in omnibus illis, non simul, et ejusdem vocis formatione (id enim impossibile est simul fieri in ore loquentis), sed successive, et juxta occurrentes occasiones. Et in hoc modo gratia conceditur loquenti: ex parte autem audientium, nullum est miraculum vel supernaturale opus, quia tunc loquente prædicatore in una lingua, qui illam norunt, naturaliter intelligunt; alii vero non percipient sensum, donec in eorum lingua loquatur.

49. *Contra primum modum dubium.* — Dubium ergo est quo istorum modorum communicetur hæc gratia. Priori modo exponit Carthusian., Actor. 2, et probari potest ex Cypriano, vel Auctore de Cardinal. Christi operibus, capite ultimo, de Spiritu Sancto, dicente: *Spiritus Sanctus ad instar prioris sæculi universitatem fidelium unius labii esse voluit, ut quorum erat cor unum et anima una, una esset et lingua, nec posset impedire intellectum credentium aliqua diversitas verborum, sed evangelica doctrina propria lingua prolata ad omnium auditum eandem efficiantiam obtineret.* Quod magis exponens, posteriorem partem prioris modi indicat, dicens: *Hi omnes dum Hebræa lingua Apostoli prædicarent, locutio Judaica enuntiationis articulos cursu consueto evolvens, nullo exponebatur interprete, sed verborum per Spiritum Sanctum inerat virtus et gratia, ut habitantes Pontum et Asiam, suam esse dicerent linguam quam audiebant, alludens ad verba illa Lucae, Actor. 2: Quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Et iterum: Audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.* Et infra: *Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.*

50. *Amplius improbatum prima explicatio primi modi.* — Ex quibus verbis evidenter refellitur primus modus priori modo explicatus; nam apertissime dicitur non omnes

audivisse eandem linguam, et illam intellexisse, sed singulos audivisse linguas suas: ergo non erat hæc gratia interna in mentibus audientium, sed exterius erat varietas verborum in auribus eorum, quibus verbis auditis, sine nova gratia singuli intelligere poterant significationem verborum, quæ audiebant. Et ita etiam exponit hanc gratiam Basilius, Seleuciæ Episcop., in serm. de Innocent., apud Sur., die 28 decembris, ubi ita explicat hoc donum: *Quando rore spiritus, qui e caelis fluærat, in lingua Apostolorum accepto, congregatarum gentium auribus distribuit oris operationem, unusquisque vocem ad omnium gentium sensus accommodante, et adaptante gratia: adeo ut fluentum sermonis quod profundeatur ex labris, fieret familiare omnium auribus a Spiritu Sancto, transformato in id quod erat cognatum vocis unusquisque eorum qui audiebant.* Eandemque sententiam indicat Oecumenius, Act. 2, dicens, Apostolos novisse quæ dicerent, quibus autem linguis dicerent non novisse, sed unosquosque audientium scivisse quod sua lingua loquerentur. Quod profecto, si verum est, inde proveniebat, quia loquens unum idioma sibi notum proferebat quod in auribus audientium multiplex fiebat. Et ita videtur accidisse quando Petrus, unica concione, tria millia audientium diversarum linguarum et nationum convertit, Actor. secundo; quomodo enim id fieri poterat, nisi quia una vocis prolatione loquentem omnes in suis linguis audiebant et intelligebant?

51. *Approbatum secundus modus explicandi hanc gratiam gratis datam.* — Posterior autem modus intelligendi hoc donum ex parte loquentium, est magis probatus et receptus, nimirum in hoc consistere, ut uni eademque personæ detur omnium linguarum peritia, et facultas illa utendi. Hanc sententiam ita docet D. Thomas in 2. 2, quæst. 176, art. 1, ut in solutione ad secundam, priorem omnino rejicere videatur; et sequitur Cajetan., Actor. 2; et Viguer., in Institut., capit. 9, § 1, vers. 8. Eundem modum approbant Beda et Glos., Actor. 2; et Anselmus, 1 Corinth. 12; Nazianzenus item, oratione 44, expressius dubium tractans, et duos illos modos conferens, posteriorem præfert. Et potest probari primo ex Actor. 2, ubi homines plurium linguarum dicebant: *Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei:* nam, ut notat Nazianzenus, illa verba *nostris linguis*, non cum solo verbo *Audivimus*, sed cum participio *loquentes* conjungenda sunt, ita ut ideo isti audirent suis

linguis, quia Apostoli eorum linguis loquebantur. Et ita videtur intellexisse illa verba Ecclesia, cum in officio Pentecostes canit: *Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei.* Idem sentit Cyprianus in Expositione Symboli, in principio, ibi: *Ut loquelis diversis, variisque loquerentur;* et Augustinus, tract. 32 in Joan.: *Omnium (inquit) linguis locuti sunt.* Et cum postea interroget: *Quare nunc nemo baptizatus loquatur linguis omnium gentium,* respondet: *Quia jam ipsa Ecclesia omnium gentium linguis loquitur.* Sicut ergo nunc Ecclesia illis loquitur, ita primitus singuli eisdem loquebantur, ut idem disertè exponit, sermon. 11 de Verb. Domin., capit. 17, et sermon. 59, cap. 7, et sermon. 9 de Verb. Apostoli, capit. 3. Et idem aperte docet Chrysostomus, homilia 35 in 1 ad Corinth., et homil.: *Quod Christus sit Deus.* Præterea hoc videtur de se expresse affirmare Paulus, 1 Corinth. 14, dicens: *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.* Idemque de aliis fidelibus ejus temporis supponit, cum ait: *Volo autem omnes vos loqui linguis;* et c. 12, vocat hoc donum *genera linguarum;* tum quia per illud datur recipienti ut multis linguis loquatur; tum etiam quia non est donum audientium, sed loquentium, quibus datur ut variis linguis loquantur. Et fortasse ob hanc causam dixit Hieronymus ad Ephes. 1: *Quod in fabricatione turris linguarum unitas scissa in Actibus Apostolorum portendebat dona linguarum;* et Sophon. 3, non longe a fine: *Apostoli (inquit) universis linguis locuti sunt, et, veteri errore sublato, unum confessionis redditum est labium;* et ad hunc modum loquuntur fere alii Patres in sermonibus de Spiritu Sancto, seu de Pentecoste.

52. *In quo consistat donum linguarum.* — Quocirca, in hoc puncto, certum mihi videtur hoc donum linguarum consistere in facultate divinitus alicui data ad loquendum variis linguis, quas antea ignorabat. Hoc probant omnia posteriori loco adducta, quia neque Scriptura, neque Patres possunt proprie et sincere aliter explicari. Item ratio Nazianzeni fundata in verbis Pauli est optima, quia, si gratia hæc solum operaretur in audientibus, non fuisset data Apostolis, nec fidelibus, qui Spiritum Sanctum recipiebant, et linguis loquebantur, sed audientibus, quod est contra vim verborum Scripturæ. Item est optima ratio D. Thomæ, quia hoc donum non fuit necessarium tantum, ut auditores intelligerent prædicatores loquentes, sed etiam ut prædicatores in-

telligerent alios, etiam infideles, sibi loquentes, quia ad illorum conversionem non solum erat necessarium ad illos loqui, sed etiam interrogationibus eorum respondere, difficultates solvere, et confessiones audire; ergo hoc donum per se, et proxime (ut sic dicam) instruit accipientem, seu docentem, licet propter aliorum utilitatem detur. Augetur hæc ratio, quia hoc donum non solum dabatur in principio Ecclesiæ propter disciplinam audientium, sed etiam propter societatem et unitatem fidelium, ad quam necessarium erat, ut secum conversari, et mutuo intelligere ac loqui possent. Unde obiter colligitur donum hoc, licet ad loquendum detur, immediate tribui ad cognoscendum non res, sed verba et significationes eorum, quia datur ad loquendum humano et rationali modo, in quo ex præcognitione assumuntur verba quæ sint notæ, seu signa conceptuum et rerum, quas exprimere volumus. Propter quod verisimile non est quod Oecumenius ait, Apostolos non cognovisse in qua lingua singulis loquerentur, alias non humano et rationali modo loquerentur ad illos, nec potuissent unicuique loqui modo illi accommodato, et prout singulis expedire judicabant, quod imperfectissimum est, et alienum a suavi Spiritus Sancti providentia et efficacia.

53. *Prior modus, licet Scripturæ incongruus, possibilis, et Petri concioni accommodari potest.* — Ex dictis ergo duobus modis posterior certus est, et nullo modo negandus, sive prior admittatur, sive non. Non est enim dubium quin etiam ille prior modus fuerit possibilis; non est tamen sufficiens vel ad intelligendam Scripturam, vel ad finem et effectus hujus gratiæ. Crediderim etiam illum priorem modum primo modo explicatum nunquam fuisse in usu, quia nullum est fundamentum ad id affirmandum, et quia alias hæc gratia ante fidem communicaretur infidelibus, ut concionantem possent intelligere: unde etiam posteriorem modum declaratum, arbitror regulariter non fuisse in usu fidelium in primitiva Ecclesia, quia nec illius ordinaria necessitas apparet, neque ex his quæ de hoc dono traduntur colligi potest. Quod autem in aliquo casu raro, seu extraordinario, illud etiam donum, seu miraculum factum fuerit, facile defendi potest. Et de illa prima concione Petri Apostoli videtur esse verisimile. Quamvis dici possit, vel illa tria millia hominum fuisse ex Judæis habitantibus Jerusalem et per Judæam, qui linguam hæbræam vel syriacam



(si forte illa concionatus est Petrus) intelligebant; vel non fuisse omnes conversos in una concione facta in eodem loco, et in eadem hora, sed in diversis, factis in diversis locis civitatis, et distinctis horis diei, et fortasse non in eadem, sed in distinctis linguis, nec forte per solum Petrum, sed etiam per alios Apostolos, quia Scriptura solum dicit: *Et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria milia*. Verisimile enim est non solum Petrum, sed etiam alios Apostolos, eodem die aliquos convertisse, quia de omnibus dicitur: *Nonne isti qui loquuntur Galilæi sunt?* etc., et de omnibus dicebant: *Audivimus eos loquentes magnalia Dei*. Possunt ergo illa verba de conversione trium millium hominum referri ad conciones omnium Apostolorum eo die factas. Præterquam quod idem Petrus potuit, in illa concione, nunc in una lingua loqui, nunc in alia, prout audientibus expedire prospiciebat. Propter quæ non cogimur illum priorem modum exponendi hanc gratiam, etiam in illo facto, admittere: nihilominus tamen satis probabile est hoc fuisse concessum Petro in illa concione, ad faciliorem modum prædicandi simul diversarum linguarum hominibus, et fortasse, in aliis opportunitatibus, simile miraculum factum est per Apostolos, vel alios Evangelii prædicatores. Nam hoc etiam, nostra ætate, vel non multum ante illam, aliquibus sanctis viris esse concessum testantur Bozius, lib. 6 de Signis Ecclesiæ, cap. 5, et Lorin., Actor. 2.

54. *Gratia hæc priori modo explicata non conceditur per modum habitus, sed per mutationem tantum in verbis factam.*—Ex his facile responderi potest interrogationi, an hoc donum datum fuerit per modum habitus, vel per modum actus? Dicendum est enim, si aliquando concessum est illo priori modo, scilicet, ut una vox loquentis a multis in diversis idiomatibus audiatur, id nunquam esse concessum per modum habitus, sed solum per actualem Dei mutationem in verbis factam, quando ad aures audientium perveniebant, quia nullus habitus vel facultas loquentis potest habere tam mirabilem virtutem, ut est per se notum; unde non minus certum est tale opus non posse fieri ex habitu, quam alia miraculosa opera. Proprium autem donum linguarum, quod a nobis explicatum est, facile dari potest per habitum per accidens infusum; nam sicut habitus unius linguæ usu acquiritur, ita potest a Spiritu Sancto per accidens infundi; eadem autem ratio est de multis, seu

de omnibus linguis, quæ de una. Ac denique ita de facto esse datum in primitiva Ecclesia docet D. Thom. 2. 2, quæst. 176, art. 2, ad 3, idque recte colligit ex verbis Pauli citatis, 1 Corinth. 14: *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum linguis loquor*, id est, scio et valeo loqui, non enim tunc omnium linguis actu loquebatur. Neque hoc indicat majorem perfectionem in illo dono, ut recte ibidem attingit D. Thomas, sed potius, quia est inferioris ordinis, et actio ejus, supposito habitu, est mere naturalis, et ad ordinarium convictum et societatem hominum inservit, ideo data est per modum habitus. Nunc vero, quia non est tanta necessitas, fortasse non ita infunditur, licet per occasionem interdum transitorie et per modum actualis motionis aliquando concedatur.

55. *Duo modi gratiæ interpretationis sermonum, de vocibus et sententiis, cum exemplis in primo modo.*—Nona gratia, gratis data, vocatur ab Apostolo *interpretatio sermonum*, de qua, quid sit et quomodo etiam a præcedentibus differat, variis modis exponitur. Duo autem modi videntur esse præcipui et probabiliore. Unus est, ut interpretatio sermonum ad significationem verborum referatur; alius est, ut de sensibus et mysteriis in verbis inclusis intelligatur. Priori modo interpretari sermonem, est verba unius idiomatis per alterius verba exponere, quod potest fieri vel scripto, vel voce. Priori modo, vocamus septuaginta interpretes, eos qui vetus Testamentum ex lingua Hebræa in Græcam primitus transtulerunt; posteriori modo vocamus confessionem per interpretationem, illam quæ fit ab homine cujus linguam confessor ignorat, intercedente alio, qui verba pœnitentis in idioma confessoris transferat. Sic ergo interpretatio sermonum est ad utilitatem fidelium necessaria, et fuit etiam in primitiva Ecclesia, primo, ad interpretandas epistolas, vel canonicas quas Apostoli scribebant, vel alias quæ ad ædificationem Ecclesiarum ad illas mittebant Episcopi, ut Clemens, Ignatius, et similes. Secundo, ad interpretandam concionem in una lingua factam, aliquibus fortasse adstantibus qui linguam illam non intelligebant.

56. *Objectio.*—Dicet fortasse aliquis, propter neutram causam fuisse illo tempore necessariam hanc interpretationem, quia donum linguarum erat tunc commune toti Ecclesiæ; dabatur enim non tantum doctoribus, sed universis fidelibus: ergo omnes intelligebant quamcumque linguam; ergo non indigebant

illa interpretatione. Antecedens colligitur ex Actor. 10, ubi, prædicante Petro gentibus congregatis cum Cornelio, *cecidit Spiritus Sanctus super omnes visibiliter; audiebant enim* (ut subjungitur) *illos loquentes linguis, et magnificantes Deum*: et similiter cap. 19, cum Paulus venisset Ephesum, et quosdam baptizari jussisset, *cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant*. Et conjectura fit verisimile illud antecedens, quia donum linguarum non dabatur tantum ad loquendum, sed etiam ad intelligendum, neque dabatur solum propter doctrinam, sed etiam propter societatem et unionem; ergo non dabatur solis prædicatoribus, sed etiam cæteris fidelibus, ut se invicem intelligere, et in unum melius sociari possent.

57. *Solutio.*—Respondeo negando assumptum; nam potius videtur certum etiam in primitiva Ecclesia plebem christianam communiter non habuisse donum linguarum, neque omnes linguas intellexisse. Id aperte probatur ex Paulo 1 Corinth. 12 dicente: *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* Ubi de dono linguarum dicit non fuisse omnibus commune, eodem modo quo nec cæteræ gratiæ. Quod si non fuit commune omnibus quoad locutionem, profecto neque quoad intelligentiam, quia eadem est utriusque ratio; imo primo ac per se dabatur propter sermonem. Et ideo in cap. 14 monet Paulus eum qui habet donum linguarum, ut illo non utatur ad loquendum linguam quam audientes communiter non intelligunt, quia hoc jactantiæ potius et vanitatis esset quam utilitatis, et confusionem potius quam ædificationem pareret, non solum apud infideles, sed etiam apud fideles ineruditos, quos ibi *idiotas* vocat, ut Anselmus, D. Thomas et Cajetanus indicant; et Theodoretus addit laicos eo nomine appellasse. Supponit ergo non omnes fideles intellexisse tunc peregrinas linguas, et ideo necessarium fuisse illis loqui in propria lingua, vel interpretari alienam, si aliquid in ea dicebatur vel legebatur.

58. *Exponitur locus sacre Scripturæ.*—Unde, licet in dictis locis Actor. 10 et 19 donum linguarum datum fuerit aliquibus ad sermonem Petri, vel manus imponente Paulo, non inde sequitur datum esse omnibus fide-

bus, neque id commune fuisse in omni baptis- mate, vel omni manuum impositione, sed in aliquibus occasionibus, juxta divinæ providentiæ dispositionem, et occurrentes occasiones; ut, in priori casu, id concessum videtur Cornelio et sociis ad confirmandam vocacionem gentium, quia tunc primum cœpit illis ex professo prædicari Evangelium. In alio vero casu id fuit opportunum ad ostendendam virtutem baptismi Christi, et differentiam ejus a baptis- mate Joannis, et ad confirmandos fideles in fide Spiritus Sancti. Et fortasse etiam tunc non omnibus indiscriminatum datum est linguarum donum, sed his qui postea futuri erant doctores, vel pastores populorum, et spirituales viri dicebantur, ut notat Irenæus lib. 5, cap. 6. Neque denique tale donum necessarium fuit dari omnibus plebibus fidelium propter ecclesiasticam societatem et unitatem, quia hæc unio, et societas proxime (ut sic dicam) et per se fit inter fideles et pastores seu prædicatores eorum, et in illis uniuntur plebes spirituali seu ecclesiastica unitate. Neque nationes diversæ habent inter se aliam humanam societatem, sed aliquam communicationem, vel per litteras, vel quando unus in alieno solo peregrinatur, propter quam non erat necessarium hoc donum, alias etiam hodie dandum esset; non datur autem quia sufficit interpretatio, vel humana eruditio; præterquam quod illa communicatio naturalis est, et non perficitur per dona gratiæ.

59. *Secunda objectio.*—*Respondetur, et ostenditur quid peculiare sit in hoc dono.*—Hinc vero potest secundo objici, quia interpretatio sermonum in illo sensu non est gratia distincta a dono linguarum, sed est quidam usus ejus, qui naturaliter sequitur, seu fieri potest, si habituale donum supponatur: sicut, comparata per infusionem Spiritus Sancti peritiam linguarum, loqui illis, vel eas intelligere, non est specialis gratia, sed usus connaturalis prioris gratiæ; ergo nec interpretatio sermonum in eo sensu erit specialis gratia. Propter hoc dicendum videtur, interpretationem hanc sermonum non esse simplicem et puram versionem unius linguæ in aliam, sola industria humana factam, supposita utriusque linguæ notitia, sive acquisita, sive per accidens infusa: sic enim argumentum convincit non esse specialem gratiam. Addit ergo hoc donum peculiare auxilium, ad servandam fidelitatem et assequendam veritatem sensus, ita ut verba in aliam linguam translata eandem sententiam referant. In hoc enim errare facile potest etiam